28

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

RÆROGATIVIS PRAXEOS PER SIMPLICIA PRÆ MEDICINA PER COMPOSITA PRÆPARATA PHARMACEVTICA

QVAM

PROPITIO NVMINE DIVINO

&

GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ CONSENSV

PRÆSIDE

DOMINO

N. D. MICHAELE ALBERTI,

TENTISSIMI REGIS PORVSSIÆ CONSILIARIO AV-
ICO, MEDICINÆ ET PHILOS. NAT. PROFESSORE
PVBL. ORD. ACADEM. NATVR. CVRIOS.
COLLEGA.

ACVLTATIS MEDICÆ DECANO GRAVISSIMO

PATRONO, PRÆCEPTORE, AC PROMOTORE SVO
OMNI HONORIS CVLTV DEVENERANDO

PRO GRADV DOCTORIS

ummisque in Arte Medica Honoribus, Inſignibus, ac Privilegiis
More Majorum Solenni obtinendis
Horis ante & pomeridianis d. XIII. Mart. MDCCXX.

IN AVDITORIO MAIORI

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET

AVCTOR

OHANNES GOTTFRIED KIRCHHOFF.

Laub. Luſat.

HALÆ MAGDEB. TYPIS IOANNIS MONTAGII, ACAD. TYPOG.

Q. D. B. V.

PROOEMIUM.

A Deo inclaruit Ævi moderni Nobilitas, ut Scientiarum & Artium, quæ per genus humanum florent vigentque, vix invenias ullam, quam non ad ſummum usque perveniſſe videas faſtigium. Non puto quendam mihi contradicturum, ſi quis tamen ſit, ille reſpiciat peto, qvæ noſtra anteceſſerunt, tempora, & qualis olim fuerit artium ſtatus atque facies, mente ſua recolat, ſic enim mutata reperiet tempora, Ævumqve modernum obfuſcare qvaſi gloriam præteritorum omnium. Abſit tamen omnem propterea Antiqvitati detrahere laudem, utpote cujus ingenio circa inveniendas, & qvaſi juxta prima ſtamina ac rudimenta delineandas Diſciplinas & Artes multum omnino debet Poſteritas; interim vero nemo, cui res hodiernæ cognitæ ſunt, ire poterit inficias, quod Antiqvorum inventiones ultro perfecerit Poſteritas, easqve ipſas ſucceſſu temporis ad tantum protenderit apicem, ut vix habeas, qvod poſſis addere: complevit enim indefeſſus Poſterorum labor, in qvo fregerunt glaciem Antiqui. Nolo hiſce ultro explanandis & per monumenta deducendis

Arte ſolide complenda induſtriam aluiſti ſemper conſiliis, firmaſti auxiliis. Taceo plura paterni amoris ſpecimina, quæ quidem hic allegare vetat adulationis ſuſpicio, quibus tamen me omni modo obſtrictum judico, publicum hoc filialis meæ devotionis ſtabilire monumentum, animique grati mnemoſynon. Faxit DEVS quo per longam adhuc annorum ſeriem Parentis frui liceat favore! Faxit! ut vivas ſoſpes, & inter has mundi calamitates incolumis, ne lugeant unquam indefiniti ægri optatum ſolamen, nec egomet ſalutis meæ temporalis fulcrum! Sic vale, HONORATISSIME PARENS, ex pio ac ardenti voto

obſequioſi Filii

JOH. GOTTFR. KIRCHHOFFII.

VIRO

RÆCELLENTISSIMO atque EXPERIENTISSIMO

DOMINO

N. JOH. ADAMO KIRCHHOFFIO,

EDICINÆ DOCTORI AC PHYSICO
APVD LAVBANENSES MERITISSIMO
PARENTI

ad Vrnam usque omni pietate
proſequendo
hanc Diſſertationem ſacram vult

Autor.

§. XXXII.

Sicut vero unicuique liquet abſoluta ad conſervandam vitam atque ſanitatem, recuperundasque, quas quotidianus abſumit labor, vires, alimentorum neceſſitas, ita etiam ex omnibus, quæ ad humanum corpus pertinent, profecto nihil eſt, ex cujus uſu irregulari & perverſa qualitate majus redundet in ſanitatem damnum, quam itidem ex alimentis. Quod ſi autem tanta eſt Alimentorum in ſanos efficacia, ipſisque nec conceſſum, comedere ſemper, quicquid ante os venit, aut quicquid commendat appetitus, ni vacillare debeat ſanitatis conſtantia; quanta, quæſo, habenda erit alimentorum ratio, quantusque ſelectus apud illos, qui ſanitatem amiſſam dolent, & morbo jam affecti degunt!

§. XXXIII.

Quantum vero Diætæ irregularis damnum, tantum quoque credas eſſe emolumentum ex legitimo alimentis utendi modo reſultans. Etenim ſane multum in Morbis quamplurimis efficitur alimentis, quia vix reperies alimentum, cui non aliqua etiam inſit virtus medica. Foveo hanc ex omni parte e Scriptis Veterum confirmatam ſententiam, hi enim eam omnium, quæ ſunt in Medicina, utiliſſimam declarabant ſpeculationem, alimentorum curatius obſervare vires: *vid. Galen. de Aliment. Facult. Lib. I.* Et erat ſane, quæ Hippocratis præcipue & Galeni ævo florebat, Medicina mere Diætetica, curabantur ægri alimentis magis, quam medicamentis, depromebant enim tunc temporis Medici a fonte Diætetico, quicquid potiorem curationis abſolvebat paginam, & loquitur experientia optimo id ſemper factum effectu & eventu; neque mirum, eſt enim hæc medendi methodus, dum ſimpliciſſima eſt, multo conformior Naturæ, Natura enim Diætæ aſſueta, quicquid offertur ex victu atque potu, promtius omnino certiusque in ſuos convertere ſolet uſus. Ex quo merito reprobanda eſt Recentiſſimorum negligentia, quod ita leviter alimenta æſtiment, & pro cognoſcendis eorundem facultatibus non majorem impendant induſtriam.

§. XXXIV.

igitur; quod mihi exoptatum venit, otium Tua, PARENS OPTIME, mente recolendi, beneficia, quorum memoriam, ſicuti TV iisdem figere neſcis terminum, ita in me nulla unquam delere poterit oblivio. Deliberavi mecum ſæpius, qva ratione gratum TIBI declararem animum, & dolui hactenus flagrantis deſiderii inertiam; ſed ecce! illuceſcit, dum ultimum adeo curriculi academici actum, felix occaſio. Accipe hinc TIBI ſacratas Studiorum meorum primitias, nec tamen mirare, quod Tuos his compellem Lares; cui enim, Ipſemet judica, primitias offerrem melius, quam cui meum didiciſſe fideliter Artem acceptum fero? Etenim TV poſt DEVM ſolus Studii mei autor es; per TE ad Medicinam ſum quaſi natus, nactus abs TE Genitore naturam Doctrinæ recipiendæ aptam; abs TE fuit inſtitutio a puero, qua dimidium Studii abſolutum in Academiis reperi; imo TV tandem, quod ſaluti Liberorum invigilantis Patris eſt, meam qualem qualem in

impendere operam, id modo paucis commemorare placet, de quo jam dudum conqveſti ſunt per multi, qvod ſcilicet ſub hac Diſciplinarum & Artium uberiore elaboratione ac perfectione multa inutilis ac futilis Diſciplinas occupaverit Speculatio, cui quidem favet vani Splendoris amans animus, minus vero, qui contemtui habet, quicquid nihil realitatis refert. Scio eqvidem non omnem poſſe redargui ſplendorem, verus enim Diſciplinarum ſplendor eſt, veritates largiri, qvarum in Praxeos exercitio reale datur fundamentum; enim vero talem, qvæſo, ni cupias decipi, non puta communem Splendorem, inanis enim eſt, & ſi rem ſano intuearis oculo, nuda communiter latet curioſa Speculatio, ita ut profecto huc trahi poſſit, qvod in Adagio eſt: Aurea ne credas, qvæcunqve niteſcere cernis. Certe ſi qua in toto Orbe Ars eſt, cui ſpecialiore qvodam applicandi ordine, eadem tribui qveunt fata, erit illa Ars Medica. Enitebantur omnino conatu nunqvam aſpernando in id recentiorum Temporum Medici, qvo ex antiqvis Medicorum Principum Commentariis eruendam ac colligendam Artem adhuc magis amplificarent, eidemque adderent, qvicqvid ad hanc ultro perficiendam imo complendam inſervire judicabant, enim vero ſic volebant Fata, ut etiam Medicinam maculet Speculatio, ne illa ſola ſit, qvæ reliqvas Artes ingenua puritate ſuperet. Nihil ergo poterat obſtare, qvominus Recentiorum venuſtas in experimenta & curioſas Inventiones ſeſe diffunderet, dum Artem, qvæ ipſis videbatur ob magnam ſui ſimplicitatem indecora, tanto exornare Splendore erat animus, ut omnium alliciat oculos. Ingens mihi faceſſeret negotium, omnem illam Specioſarum Inventionum & curioſarum Speculationum hic commemorare ſeriem, qvibus hic & ille Medicinæ Profeſſor & Antiſtes Theoriam Medicam exornare, & per hunc ingenii luſu effictum Splendorem juvenes animos qvaſi allicere tentat, mo-

do

do Officinas Pharmaceuticas intrare placet, ibidemqve paululum revidere, qvalisnam ſit eorundem penus ægrorum in ſolatium cuique venalis. Euge? qvanta eſt nominum Specioſitas, qvæ ornat pyxides, vitra, ciſtulas! qvanti in hiſce aſſervaculis latere venditantur theſauri, qvantaqve vix æſtimanda Pretioſa! Aſſervantur hic Panaceæ, Polychreſta, Mercurii vitæ, illic Species cordiales, lætificantes, Bezoardicum Solare, joviale &c. ibi Elix. Cephalicum, alibi Eſſ. Bezoardica, hic Specificum Antepilepticum, illic Magiſterium Cordiale, & qvæ horum ſunt pompoſa Analoga. Sed profecto Splendor meri nominis! ſi enim ſpecioſa illa Pharmaca trahas in uſum, & genuino huic Lydio lapidi eadem admoveas, animadvertes, qvod ſpecioſo nomini raro reſpondeat effectus, qvodqve vel in Arte Pharmaceutica non omnia ſint credenda aurea, quæcunque niteſcere cernis. Dicam plura attenta te docebit obſervatio, quod abjecta & exilia Simplicia, quorum in gratiam Magnus Medicus vix pedem movet, & quibus Pharmacopœus vix concedit hoſpitium, meliorem ſæpius præſtent effectum, imo ſplendidiſſima quæque ac artificioſiſſima Præparata communiter ſuperent. Conſtitui igitur mecum, cum de Inaugurali Specimine edendo mihi meditandum ſit, hoc Thema aggredi, in conſcribendis quibusdam pagellis demonſtraturus, non exiguas eſſe *Praxeos per Simplicia Prærogativas præ illa, quæ per Compoſita Præparata Pharmaceutica operoſa* dicitur. Quibus meis conatibus Divina adſpiret clementia, quo vergant illi, ſicut in ſummi Archiatri gloriam, ita in Artis commodum, Ægrorumque ſalutem.

§. I.

QUod ſi igitur ſtet ſententia, de Praxeos per Simplicia Prærogativis, quibus longe antecedit illam, quæ per Compoſita Arte Pharmaceutica concinnata efficax eſt, pauca diſſerere, non quidem abs re fore, ſed opus eſſe arbitrabitur Lector, ut in primo ſtatim limine explicem, quid mihi velim per Praxin per Simplicia, quidve ſpecialius intelligam per Medicinam per Compoſita Præparata Pharmaceutica?

§. II.

Res quidem denotatur Terminis, ne tamen cuipiam in eo deficere videar, ex quo haurienda eſt de argumento totius Diſſertationis vera cognitio, Terminorum enucleationem largiar. Ut itaque vertam vices, de Medicina per Compoſita primum. Compoſita quid ſint, fugiet neminem, qui vel ætimologiæ habet rationem, appellantur enim ita Senſu Medico plura invicem mixta Subjecta medicamentoſa, quæ in unam formam redacta unum tandem Præparatum conſtituunt. Sicuti vero Compoſitio non eſt eadem, ſed generali diſtinguendi more duplex, una nempe, quæ nullam artem ſapit, nec labore eget, ſed cui vel vulgi ingenium minus eruditum ſufficit; altera autem, quæ Artis nititur legibus, variasque enchireſes, quibus rite addiſcendis doctrina opus eſt, obſervandas præſcribit; ita omnino præſentis Diſſertationis titulum eo reſtringere æquum duxi, ut non compoſita Præparata quælibet, ſed Pharmaceutica ſolum, quæ ingenti apparatu & numero (ſed non omni, omnem enim vix continent volumina) delineantur in Diſpenſatoriis, Medicamentis Simplicibus opponam. Non enim Præparata ad unum omnia ad Pharmacias pertinent, ſed profecto vulgus multa ſibimet conficit medicamina ſimpliciſſima ſolum & culinari præparandi methodo, quæ, cum ex una tantum aut altera Specie Simplici conſiſtant, omnino non renuunt inter Remedia Simplicia locum. Non adeo ſtricte hinc inde ſenſui vocis grammatico hic inhærendum, juxta quem τὸ Simplex Compoſito oppoſitum debet eſſe ſubjectum numero unum, imo nec vehiculo combinatum, ſed ſemper in ſubſtantia exhibitum; potius ſentiendum hic eſt cum Medicis, in quorum Scholis communi ſuffragio appel-

appellantur Simplicia non ſolum cuncta cujusvis Regni Subjecta medica, & ſeorſim quælibet illæ Herbarum, Florum, Seminum, Radicum &c. Species, quas amplum Vegetabile Regnum vix numerando numero & agmine medico offert uſui, ſed etiam illa omnia, quæcunque ſine ulla artificiali methodo per ſimplicem infuſionem aut extractionem culinarem parari ſolent ex prædictis Speciebus Simplicibus a vulgo medicamina.

§. III.

Verſatur itaque Praxis per Simplicia cum Remediis omnino humilibus, abjectis qvaſi, vulgaribus, nullus enim ſplendor humilium in diſertis locis aut ad ſepes ſitarum herbularum ac humo effoſſarum radicum; contra vero alia longe eſt Medicinæ, quæ ex Pharmaciis remedia depromit, facies: hæc eſt ſpecioſa, ſplendida, pompoſa; Arcanis plena ſunt omnia, & raro veniunt in conſpectum alia, niſi artificioſiſſima quæque pariter & laborioſiſſima Præparata. Sane igitur non mirum eſt, quod Modernorum plurimi paſsi ſint aliquid humani, tantusque ſplendor eorundem ita obvelaverit mentes, ut ſolo cortice capti, de nucleo non dubitent, omne id inſuper contemtui habentes, quod Simplicitatem olet. Qvot enim, quæſo, hodierni ævi Medicorum æſtimant Simplicia? pudet & piget adeo contemtis remediis curare ægros, potius de Specioſis & Magnalibus cogitandum eſſe putat quilibet, utpote Autoritati Medicæ magis dignis ac integris. Sed minus profecto ingenua perſuaſio, quam obſoleta jam talem pronunciat experientia Veterum! inquit enim *Caſparus a Rayes Camp. Eliſ. Qvæſt.* 7. Dubium non eſſe, humilia contemtaqve optimam ſæpius præbere utilitatem.

§. IV.

Scio eqvidem, hodienum inter Medicos fore paucos, qui aſſenſu ſuo nominato veliſicantur Autori, enim vero, qvos Arcanorum ſuorum ac Specificorum non eousqve fatigavit præparatio, ut ad penſitanda alia plane ſint inepti, illi, qvæſo, reſpiciant mecum prima Medicinæ incrementa, penſitentqve Veterum, qvos omnis Medica Poſteritas veneratur Patres, medendi rationem. Simplicisſima olim erat Ars Medica, neſciebat Specioſa, neſciebat Secreta, tota tota erat ſimplex. Neſciebant Veteres curioſas Præparationes, neſciebant artificioſas

cioſas Compoſitiones, de Pharmaciis enim altum erat ſilentium, potius, ſi remediis uti neceſſe erat, ſimplicisſima ſane præſcribebant domeſtica culinaria, Decoct. Milii, Betæ, Mulſum, Mazam, Succos Herbarum, Oxymel, e qvorum farragine ſacra qvaſi erat anchora & Polychreſtum Decoctum Hordei & Ptiſana. Si igitur Veterum intrare volebas officinas, intrare neceſſe erat culinas, patebant autem cuiqve, qvia Locis occultis pro ſuis Arcanis præparandis, vulgo Geheimder *Laboratoriorum*, carere poterant, & ancillis qvoqve, Decoctum parare aut Pulpam, notum erat.

§. V.

Qvanqvam vero Veterum curandi methodus fuerit omni numero Simplicisſima, fuit tamen eventu felicisſima non in exiguis ſolum, ſed vel in iis, qvos Paroxyſmorum vehementia & Symptomatum gravitas plenos reddebant periculi, Affectibus. Eminebant enim freqventia ſua ibi Locorum Morbi Acutisſimi, qvos in noſtris Oris & Climatibus experientia ſiſtit rarisſimos, attamen major obſervabatur Simplicium, quam hodie ubique ſolennium ſpecioſisſimorum Compoſitorum & Præparatorum Pharmaceuticorum, efficacia. Poſſem, niſi Lectori prolixa deductione injurius eſſe mihi ducerem religioni, exemplorum allegare farraginem, ſufficiat vero ex multis adducere unum, & id ſane arduum: Commemorat *Hippocrates Lib. II. de Morbis Edit. Lind. §. 65.* Febrem, quam nominat κατ' ἐξοχὴν *mortiferam & lethalem*, qua non acutiorem putat aliam: expoſita huius Affectus hiſtoria, cujus recenſitioni brevitatis ergo hic ſuperſedere liceat, ſequentem præſcribit medelam: *Huic ægrotanti hordea torrefacta unacum paleis confracta bibenda exhibere oportet, & ex aqua, in qua macerata fuerint, excolata mulſam conficere, eamque dilutam propinare: cibus autem neque ſorbitio ante 7um diem offerenda, niſi tibi debilis videatur: quod ſi ſic, ptiſanæ ſuccus frigidus & liquidus paucus bis die exhibendus, & aqua ſuperbibenda. At ubi 7. dies præterierit, & febris demiſerit, milium delingendum. Sub veſperam cucurbita & betæ paucæ exhibendæ, vinumque album aquoſum ſuperbibendum, quoad nonum attingat diem: deinde quam minimo cibo utatur, milio in prandio ſumto.* Vides igitur Simplicisſimae Curationis in arduo Affectu exemplar, qua ſpecio-

ſiorem

ſiorem per omnes Hippocratis & Galeni libros vix invenies, & tamen nobiliſſimus fuit Medicus Hippocrates, & a Deo creatus, qui in arte ſua errare non potuit, commemorante *Caſp. a Rayes in Camp. Eliſ. Qu.* 4.

§. VI.

Perluſtra, quæſo, hodierna ægrorum conclavia, viſita ægros, examina morbos, ſane paucisſimos deprehendes Hippocratis morbo pares, attamen gravius decumbere, imo plures mori videbis ægros. Quid inde? non redundavit in Poſteros Majorum felicitas, quia poſthabita fuit eorundem Simplicitas; quamdiu enim Medicina floruit ſimplex in obſervando, ſimplex in medendo, tamdiu eadem potens fuit conſiliis atque factis; ſimulatque vero Ætas recentior ſeſe immergeret in inventiones, Speculationes, & ſecreta, corruptus reddebatur Artis ſtatus. Cogitabat quidem antiquam Simplicitatem faſtidiens animus de Remediis concentratis, Arcanis, & Polychreſtis, utpote novis Artis noſtræ armis, quibus eadem majore vi & faciliore aggreſſu Affectus gravisſimos procaciter recalcitrantes certo debellare ac ſubigere valeat, ſed cernebatur in exitu, & cernitur adhuc hodie inſtituti inertia, cum his ipſis morti ſæpius magis pandatur via, imo aperiantur januæ ac feneſtræ. Et ſane miraretur, ſi in vivos rediret, ſenex Pater hodiernam Medicinæ faciem, redargueret degeneres filios, quod paternæ illudendo Simplicitati ſibimet ſolis ſapere voluerint; etenim communiter, quando plus ſapiunt Parentibus filii, male cedunt negotia, &, ſi exitum ponderant, habent, quod doleant: antiqua enim ſapientia niti ſolet experientiis, recens vero ſatis ſæpe imaginatione & frivola fictione.

§. VII.

Atque ſic verſa nunc eſt per Pharmaceutas & Chymiſtas alea, cum hi experimenta ſua ubivis proclamantes totam fere Medicorum turbam acciperent aſſeclas; optabit vero quisque, cui Jſraëlis damnum pulſum movet, ut Simplex Artis Medicæ reſtauretur ſtatus. Adeo igitur ſpecialiorem, cum huic voto e diametro reſpondeat, ſuſcepti Thematis tractationem, ut ſcilicet ordine legitimo denominem, quales & quantæ ſint Praxeos per Simplicia Prærogativæ. Erit itaque hæc prima, quod dicta Curatio in medendis morbis ejusmodi *utatur inſtrumentis*

mentis, quæ Oeconomiæ noſtræ animalis Simplicitatem conſervant, ipſiusque ingenuitatem fovent. Eſt enim tota noſtra vitalitatis conſtitutio ſimplicisſima, & ſinguli, quos in hac Oeconomia decurrere obſervas, motus, omnesque eorundem effectus ſimplicitatem olent: quod ipſum ſi quis æqua mentis lance penſitet, ex naturali judicabit concludendi ordine, vix magis quadrare ad curandum ægrotans corpus alia, niſi Remedia Simplicia. Habent enim hæc, dum eorundem effectus non mixtus eſt, ſed ſimplex, non male fidus, ſed ingenuus, exactum quendam cum dicta Oeconomia conſenſum, ex quo omnino optima felicioris Curationis affulget ſpes, quia plus quam exacta res eſt, quod, quo magis cum ſalutaribus Naturæ motibus, quibus eadem præſentem debellare contendit morbum, conſpirent remedia, eo felicius ſemper cedat Artis ſubſidium.

§. VIII.

Et profecto meditabitur de eiusmodi Remediis in omni morbo prudens artifex, ſicuti enim ipſum non fugit, dimidium curationis in eo verſari, ut irregularitates in Oeconomia animali occurrant nullæ, ſed omnes potius, quibus eadem adminiſtratur, motus, connatam referant ingenuitatem, ita potior etiam ejus eo tendet reſpectus, ne hanc Simplicitatem turbet; turbabit autem nunquam, ſi remediis Simplicibus concedat locum, teſte *Galeno de Simpl. Medic. Temper. & Facult. Cap. I.* inquit enim: *Medicamentum ſimplex eſt id, quod ſecundum naturam ſincerum eſt.* Enim vero quis de vulgaribus Pharmaciarum Compoſitis Præparatis poteſt affirmare, quod illis eadem ſinceritatis ac ingenuitatis competat laus? Sicuti profecto alimenta diverſa aſſumta ventriculo faceſſunt negotium, ejusdemq; activitatē in appetendo & concoquendo male perturbant, ita ſane eandem puto Remediorū Compoſitorū conditionem. Cum enim aliter fieri nequeat, quin ſub hac Ingredientium farragine variæ dotes Simplicium tam cognitæ, quam incognitæ confundantur, unum alterius, quod conjecturando aſſequitur quilibet, omnino impediet activitatem, aliud ſcopo deſtinato contrarias exercebit virtutes, & loco adjumenti non leve adferet detrimentum. Sane enim nihil magis offendit Oeconomiam noſtram animalem, niſi Miſcelæ ejusmodi: deſerit Natura, qualem ex mixtis efficaciis Synergia ſua præ reliquis proſequi debeat, neſcia ſuam ingenuitatem, vacillat,

tergi-

tergiverſatur, irregulariter movet, confunditur; nam is ſolennis eſt Naturæ humanæ mos, ut, quemadmodum eadem in Moralibus juxta conceptam ideam operoſa eſt, ita etiam in vitalibus negotiis oblatorum Subjectorum materialium habeat rationem, & ab iisdem flecti patiatur atque alterari.

§. IX.

Fluet ex modo dictis alia Praxeos per Simplicia prærogativa, cujus quoque arduum eſt argumentum; certum enim eſt & per infallibile experientiæ teſtimonium ſatis comprobatum, quod ſub dicta Praxi *multo ſincerius & magis ingenue, juxta propriam velut indolem, decurrat in ægro morbus*, quam poſt exhibita Præparata Compoſita artificialia. Quantis enim, quæſo, & quotuplicibus quotidie plerique affectus morboſi ſtipantur Symptomatibus, quorum nequaquam ex morbi indole deduci poteſt origo, ſed quæ mere per accidens eundem ſolent comitari! Agnoſcunt equidem hæc accidentalia pathemata cauſas varias, de quibus ſæpius ipſe inculpandus eſt Æger, ſiquidem aliquando perverſum ejusdem regimen, interdum irregularis Diæta, mox perpeſſæ ſub Morbo animi Patheticæ commotiones &c. accuſandæ veniunt; attamen nec mihi religioni duco confiteri, reſtare adhuc aliam huic Cauſarum accidentalium catalogo inſerendam & Medico tribuendam, quæ, niſi ſuperet reliquas, pari tamen paſſu cum iisdem ambulat: eſt hæc ubique inter Medicos recepta cum artificioſis Præparatis Compoſitis medendi conſuetudo, quam certo quodam auſu concurrentium Symptomatum poteris allegare matrem, ſi omnes leges rite obſervaverit, nec ipſemet in Re quadam Nonnaturali ſibi male conſuluerit Patiens.

§. X.

Miraris hoc Paradoxon, ſed profecto ex præconcepta opinione, & nimia, quam in mente foves, Compoſitorum artificialium æſtimatione. Sis, quæſo, in res Medicas debite attentus, &, quæ occurrunt, phœnomena legitime ac libere dijudica, ſic me finxiſſe nihil, ſed ſolenne quoddam experimentum allegaſſe invenies. Siſto tibi, ut rem exemplo aliquo vulgari reddam clariorem, Va-

rioloſum, qui, etiamſi variolæ jam tum nihil eximiæ malignitatis referant, nec Patiens ipſe illegitimo fruatur regimine, antequam Variolæ erumpunt, inſigni non ſolum afficitur æſtu, Cephalalgia, & Delirio, ſed etiam dum contingit eruptio, adeo inenarrabili obducitur exanthematum numero, ut eadem nullo vacuo concedant locum, ſed confluant, veſiculas quaſi forment, ac denique latis & amplis foveis faciem defœdent. Symptomata hæc ſunt, quæ minus ſecumfert mitior variolarum indoles, ſi enim reliquorum ægrotantium, qui itidem variolis affecti, ſed medici deſtituti auxilio decumbunt, intres Conclavia, omnem vides abeſſe allegatorum pathematum ſyndromen, unde profecto facile colligendum, eadem Cauſæ cujusdam accidentalis proles fore. Quid inde? non poteſt inculpari æger de commiſſo errore, hincque redundabit culpa in Medicum, aut, ut mitius me explicem, in Medicamenta. Examinemus igitur, quænam & qualia illa ſint, quæ in ægri ſolamen præſcripſit Medicus? ecce ſunt mera concentrata Pellentia, Alexipharmaca, Bezoardica, Myrrhata: quid mirum itaque, quod horum effectus expanſorios ex allegatis pathematibus legat Patiens, quodque idem multo ſit infelicior illo, quem Medici carere auxilio ante credebat infelicem. Verum enim vero de Remediis Simplicibus talequid obſervare licuit nunquam: præſer antedictis concentratis Eſſentiis ſimplex aliquod Infuſum Speciei cujusdam Alexipharmacæ, facque periculum, annon ſic melius proſpicias ægro? obſervabis certe, quod ſic variolæ optime erumpant, & ſine ullis, quæ per affectus eſſentiam abeſſe poſſunt, pathematibus legitime ſoleant decurrere.

§. XI.

Eſſent quidem plura exempla in promtu, quæ Præparata Pharmaceutica multis phœnomenis in Morbis ſuſpecta pronunciant, enim vero brevitatis cauſa placet abſtinere, præſertim cum quilibet, qui & veram horum Simplicium & concentratorum Remediorum diverſam indolem rite intueri didicit, eamque habet perſpectam, mecum ſentire non renuat. Hæc enim quamplurimorum, ut unicum modo momentum tangam, Præparatorum artificialium

cialium eſt conditio, quod ſemper aliqua vi operentur, & ſic repetitis propinata vicibus affectum urgeant, unde fit, quod communiter eadem non ſequatur ſperata euphoria, ſed ſola Paroxyſmorum exacerbatio, ſive tranquillioris & lenioris commotionis in præcipitem ac immodicam converſio, ita ut profecto non errares, ſi eadem potius augere morbum, quam debellare, publice aſſereres. Infert hæc ipſa deductio plura; quicquid enim per vim operatur, illud profecto vim infert Medico interno, ſcilicet Naturæ, ſtimulat & in exceſſum rapit, qui alias legitima proportione decurrebant motus, conſumit, ut poſtmodum ſubjugando morbo non ſufficiant, vires, ſicque operatur ſub producta Symptomatum palindrome unacum materia morbifica ad ſubeundam mortem.

§. XII.

Ignoſcat, cujus in ſola Producta Pharmaceutico-Chymica eſt confidentia, quod ita libere ſentiam & aperte loquar; per vulgus enim vagatur harum rerum cognitio, & vix crediderim, quod tibi nunquam mota fuerit ab ægro querela: Herr Doctor die Artzney iſt zu angreiffend: imo ſi ulterius experiri & perſcrutari placet, qualis vel vulgi ſit de Medico ſententia, qui de meris Specioſis & fortioribus, uti dicunt, remediis eidem eſt ſuſpectus, vix magnum ejus obſervabis nomen, potius cuilibet horret animus, Medico ejusmodi concredere vitæ & ſanitatis curam. Edocuit enim ſimpliciſſima obſervatio, quod hujus farinæ medicamina prorſus non conveniant Naturæ genio, ſed, uti communis eſt in vernacula exprimendi mos, die Natur nur angreiffen und verderben. Quæ profecto non inanis locutio, dum ægri ſæpius ita affici ſolent per adeo concentratam & meras Q. E. efficacem medendi methodum, ut ſe totos quaſi ſentiant mutatos, inverſamque quaſi Naturam; unde fit, quod, cum per omnes vitæ dies ſemel perpeſſum non queat reſarciri damnum, in Medici ejusmodi incidiſſe manus, ad tumulum usque Valetudinarii lugeant.

§. XIII.

Alia vero plane eſt Medicamentorum Simplicium indoles & operandi ratio; hæc nunquam aliqua vi offendunt & urgent Naturam medicatricem, talis enim in iisdem latet principiorum efficacium temperies, & reſultans inde modeſtus effectus, qui non poteſt non Naturæ eſſe congruus. Simplicium non eſt, vim vi repellere, potius eadem omni modeſtia Naturam quaſi monent, & motibus ſuis in aliquo negotio excedentem placide mitigant, deficientem blande ſtimulant, aberrantem leniter in rectum deducunt tramitem, & legitime operantem fovent, ac in debito ſucceſſu conſeruant. Quare etiam eſt apud illos, quibus, nullam vim pati atque ſufferre Naturam, probe conſtat, tanta remediorum Temperatorum æſtimatio ac fides, ut omine quaſi infallibili de iisdem feliciſſimum polliceantur effectum; quæ vero Medicamentis Simplicibus temperatoria?

§. XIV.

Aſt dum huic materiæ ventilandæ inhæreo, & Morborum, qui ab ordinario ſuo decurſu & propria indole per Methodum Medicam deflecti & in deterius prolabi obſervantur, mentionem injicio, non poſſum, quin etiam Complicationes Morborum eorundemque transfigurationes ac transmutationes paucis allegem: ubi profecto miratu perquam dignum eſt, quod vix quædam in Veterum Scriptis legantur hujus phœnomeni veſtigia, cum tamen idem ſit noſtra ætate non rarum, ſed ſolenne & quotidianum fere accidens. Non enim aliquid novi Modernis eſt, quod affectus acutos tranſire in chronicos & verſa vice chronicos in Acutos obſervent; eſt major, quam optatur, vel per vulgus Medicorum hujus rei notitia, & utinam ignoraret adhuc Antiquorum more omnis Poſteritas, quod adeo frequens ſit hæc dicta affectuum transmutatio! Sed quæ, quæſo, fovenda ſententia? vix male judicavero, aſſerens, potiorem, ni omnem, rationem itidem redundare in Recentiorum recens inventam methodum, teſtis enim eſt ipſa Literatura Medico-Practica, Morborum complicatorum ac transfiguratorum primos

natales

natales ab eo eſſe deducendos ævo, quo Medicinam Specioſam & glorioſam Chymico-Pharmaceuticam exortam ſcimus. Non igitur fati eſſe judica, quod hæc calamitas in noſtra reſervata ſit tempora, potius agnoſce Studii novitatis prolem, cui dedita erat Ætas Recentior; ſi enim Artis medendi ultro perſtitiſſet ac perduraſſet Simplicitas, itidem apud nos affectuum Complicatio ac tranſitus in alios quosdam pejores, imo a priſtino genio prorſus abludentes foret rara profecto avis.

§. XV.

Sed mitto hæc, eademque ulteriori Lectoris penſitationi relinquo; novum mihi ſuppetit momentum, quod iterum primas vindicat Simplicibus, poſtponit Compoſita. Sicuti enim non immerito eorum remediorum & in ægro, & in Medico, quem non angit auri ſacra fames, eſt magnum deſiderium magnaque æſtimatio, quæ cito juvant, ita profecto non abs re erit, prærogativam iisdem concedere præ illis, quæ tardiore effectu quaſi a longinquo tantum ſolent operari. Ea igitur Simplicibus non deneganda laus eſt, quod in affectu quolibet magis ſatisfaciant intentioni artificis, *multoque felicius citiusque effectum intentum præſtent*, quam alia quæque Remedia. Tendunt enim Simplicia recto, quod dicitur, greſſu ad edendum effectum, quem habent ex conſtitutione ſua phyſica proprium, cum nihil ſit, quod eorundem efficaciam aut hebetet, aut alteret, aut prorſus deſtruat: Compoſita contra communiter operantur per ambages, quia connexi ſæpius ſunt varii alieni effectus præſenti morbo plane non reſpondentes; ut taceam, quod Naturæ genio multo convenientior ſit ſimplicisſima ac brevisſima, quam quæ per ambages ducit, via. Quo vero convincaris, examini tuo, peto, ſubjice uſitatum in Pharmaciis componendi morem: quotnam in uno Compoſito reperis Ingredientium variationes! multa inter ſe æquivalent, & citra necesſitatem, dum una potiorque in ſua forte claſſe ſufficeret Species, numeroſe multiplicantur; multa commixta ſunt, quæ aut plane nullo aut admodum debili ac languido, vix digno, qui

qui commemoretur, innotuerunt effectu; imo multa quoque invenis ſemet invicem deſtruentia, inviſcantia, inæqualiter ſemet amplexantia, & magmati reſiduo maximam ſæpius efficaciæ ſuæ partem relinquentia: quid ergo aliud ex ipſa horum Compoſitorum natura poteſt colligi, quam, cum longa lataque eorundem ſit Compoſitio, talem quoque fore ipſorum operandi modum.

§. XVI.

Et ſane rem optime deciſam offert omnium rerum magiſtra, experientia, neminem enim rerum humanarum ita incurium, & eorum, quæ cuilibet in communi vita toto die obverſantur oculos, adeo negligentem æſtimo, qui neſciat, quo felici plerumque eventu homines plebeji, qui raro Medicum & adhuc rarius Pharmacias trahunt in conſilium, per ſimplicisſimas quasdam Species, quas non multus colligit labor, ſed ſeps ſæpius proxima offert, ſua ſibimet invicem in quibuscunque afflictionibus præſtent officia. Profecto humilibus hiſce & abjectis, uti videntur, remediis ſæpius vulgus efficit, quod ſpecioſis Arcanis & ita dictis Polychreſtis, quæ ipſum jam nomen, ſed proh dolor! omen raro, celebrat, non præſtat magnus Medicus, ita ut hodienum valeat adhuc effatum *Plinii*, quod *parva & ſimpliciſſima quæque maximam non raro parere ſoleant gloriam.* Et dolent ſane hujus dicti veritatem perquam ſæpe Medici juxta ſtylum modernum Practici; exhibent Remedia, quibus neſciunt meliora, Q. Eſſentias, quibus non dantur concentratiores, Elixiria vitæ, quibus Specioſiora fugiunt omnem Pharmaciam, Polychreſta, quibus præſentiora credunt nulla, & tamen affectus protrahitur in longum, vixque tanta magnalium remediorum eſt efficacia, ut vel aliquid levaminis ſentiat æger. Quid vero tunc? viſitat ægrum vetula, & de Affectus indole ac reliquis circumſtantiis facta certior commendat herbulam aut radiculam, qua aliquoties uſurpata indies decreſcit malum, & pauco temporis intervallo Patiens priſtino ſanitatis reſtituitur ſtatui. Sic tandem Vetula reportat gloriam, quasque felix citaque Morbi curatio affert laudes, ſibi vindicat; hæc enim

nim eſt pœna, cui vix effugiunt, qui Simplicia vetulis relinquenda autumantes in id tantummodo eniti ſolent, quo moderni ſeculi Splendorem in Medicinam quoque trahant.

§. XVII.

Sciunt, qui Literaturæ Medicæ primas ſolum pervolverunt paginas, quænam Galenum & Paracelſum intercedat differentia; Galenus enim Hippocratis fidelis æmulus Praxeos Simplicioris firmiter inhærebat exercitio, Paracelſus contra Simplicitatis Hippocraticæ oſor ac deriſor quærebat, ſed profecto ubi nulla erant indaganda, Specioſa; hic etenim eſt communis in omni Univerſo Naturæ mos, ut ingenua prorſus Simplicitate glorietur, iisque inimica ſit, qui ſpecioſam larvatamque ipſi affingere faciem non dubitant. Quid igitur ingenium Paracelſi erga Simplicitatem Galeni? manſit ille ſemper impar huic, & loquitur quotidiana obſervatio, quod, quo magis quid eſt pompoſum, eo minus ſit ingenuum. Laudat factum eventus; quare optimum attigiſſe in aprico eſt, quibus non diſplicuit Veterum Simplicitas, quique eandem adhuc agnoverunt normam feliciter exercendæ Praxeos; non enim adeo inops & curta eſt noſtræ Materiæ Medicæ ſuppellex, ſed multi ſunt in eadem theſauri, qui ſaluberrima nobis offerunt in ſimplicisſima conſtitutione comprehenſa ſanitatis adminicula.

§. XVIII.

Incidit, dum in demonſtrandis Praxeos per Simplicia Prærogativis greſſum moveo, in mentem aliud huc trahendum argumentum, ex eo Curationi cum Simplicibus præ reliqua favorem concilians, *quia non eſt Æquivoca.* Vocamus autem, ut ſtatim, quo noſtra reſpiciat mens, liqueat, Curationem æquivocam, quando ægro ab affectu, quo decubuit, uti videtur, revera liberato, juſtum tamen ſubeſt dubium, an hæc ſublatio morbi vel in genere fida atque firma ſit, omnique numero abſoluta, vel in ſpecie eadem reſtitutio certo a Medici cura & remediis, minus

vero aliunde, undecunque tandem ſit, evenerit? Hujus inquam æquivocationis plane expers eſt Methodus Curandi per Simplicia: dicat enim æqvus rerum arbiter, quomodo poſſit fallere, quod in ſimplici ſua conſtitutione nulla perpeſſa ſive per ignem chymicum ſive per fallacem cum diuerſis aliis Ingredientibus miſcelam debilitatione aut alteratione propinatur & exhibetur? certus potius jam in anteceſſum poteſt eſſe artifex de felici effectu futuro, & ſi actu videat ſucceſſive decreſcere malum, eminet ad oculum remedii valor, imo cum tandem prorſus evanuerit morbus, convictus eſt de fida ac abſoluta ejus ſublatione, quia uſus eſt remediis, quæ, cum ipſamet pallium oderint, neque palliare potuerunt affectus eventum.

§. XIX.

Contra vero ubi Compoſitorum Pharmaceuticorum fides ac certitudo? certe quanta eſt Simplicium nunquam deneganda ſinceritas, tanta, crede mihi, illorum eſt nunquam excuſanda fallacia. Quod ne temerario quodam auſu dixiſſe videar, ad ipſam provoco, ni omnium, plurimorum tamen, Pharmacorum qualitatem ac indolem, cujus vel leve examen de prolata veritate convincet quemlibet: non enim Sapientis eſt, ſoli Specioſo Remediorum confidere nomini, quo ſpeciali cuidam morbo ſæpius ſpecifice venditantur oppoſita, ſed quadrat huc, ni velis agere Empiricum, laudabile axioma: omnia probate. Probemus igitur & examini noſtro ſubjiciamus communes Pharmacorum Compoſitiones: eheu! quam varians eſt Ingredientium ratio, quantusque cumulus! citra enim ſolidum quoddam fundamentum commixta reperiuntur frigida calidis, humentia ſiccis, adſtringentia aperientibus, aperitiva obſtruentibus, Incerta probatis, præſentanea debilibus, draſtica lenioribus, Amara Dulcibus.

§. XX.

Nolo allegare ſpecialia quædam, quorum hodienum magnus eſt uſus, Compoſitionum exempla, dubito enim offendere Auto-

tores, modo in genere perveſtigandi mihi ſit venia, quid certi fidique ex ejusmodi redundare queat Compoſitis, quorum ipſa jam æquivoca eſt mixtio? Dic, quæſo, quando morbi antiqua manet facies, nec ulla ejus ſequitur mutatio in ſtatum meliorem, an certitudine aliqua a tuis remediis poſſis hunc defectum deflectere? dic, quando forſan convaleſcit Patiens, an hunc effectum vere & eminenter tuis vindicare queas artificiis? imo, ſi hæc aſſeras, dic, an de facta ſolida atque fida certus eſſe poſſis reſtitutione in integrum? Puto nequaquam, res manet in ambiguo, quia medicaminum, quæ exhibuiſti, perpetua manet æquivocatio; neſcis enim, an ob maritata alia differentis efficaciæ ingredientia juverint, quas ad percurandum alias affectum in tuo Compoſito deprehendis, ſpecies in Simplici ſua conſtitutione efficaces, vel annon potius reliquarum, quæ minus huc quadrant, major fuerit & prævalens efficacia? etenim aſſerit *Galenus de Medicin. expert.* quod medicina experta laudata, quando uſurpatur, ubi non convenit, cum eo, quod non prodeſt, etiam noceat. Quare ſemper æquivocationibus tibi dimicandum eſt, nec unquam habes in tua medendi methodo certitudinem.

§. XXI.

Placet, quo meo aſſerto autoritatem ex Viri, cui profundius in rem intueri datum eſt, teſtimonio conciliem, allegare *Illuſtr. Stahlium*, qui in *Diſſ. de Curat. Æquiv.* non modo Æquivocationes Pharmaceuticas attingere quaſi horret, & meliora aperte profitetur, quæ Simplicius vera ſunt, omni modo vero magis æquivoca, quæ multam poſtulant operam, ſed etiam Æquivocationi tandem medelam præſcribens de meliori commendat veram medendi methodum ſpeciali hoc notatam criterio: Abſtrahens ſit ab inani illo & ſæpe frivole mendaci faſtu varii apparatus circa remedia multa & quoquo modo ſpecioſa, ſed potius hic etiam inſiſtendo & invigilando Simplicitati, quæ propria eſt veritati.

§. XXII.

Res evadet adhuc clarior, ſi in Pharmacorum examine al-

tero oculo ægrorum quoque, quibus illa ordinantur, conditionem reſpicias? Certe quot Capita, tot ſenſus; eſt enim magna Subjectorum ægrotantium diverſitas, ad quam niſi animum debite dirigat Medicus, ſed ægros ad unum omnes juxta unam eandemque dimetiri velit crepidam, dolendæ profecto erunt afflictorum vices. Nulla vero hujus circumſtantiæ in Compoſitis uſitatis Pharmaceuticis habetur ratio, etenim omnibus ac ſingulis, qui eo, quem remedii tangit titulus, affectu laborare videntur, idem creditur ac venditatur aptum, præſcribitur cuique indiſcretim, & ecce! ſæpius aut tota mixtio huic vel illi minus convenit ægro, aut aliquot ad minimum Species combinatæ ſunt eidem ex Temperamenti ratione non modo minus competentes ac proficuæ, ſed actu aliquando noxiæ. Quæ cum omnino ita ſint, quid mirum, quod e rebus undique tam æquivocis nihil ſubnaſcatur aliud, quam æquivocatio perpetua? contra ſi e tuo Pharmaco unam alteramve eligeres ſpeciem, eamque ſeorſim in Patientis uſum, quocunque placeat modo, applicares, non inique autumo, & tibi & ægro de ſorte meliori proſpiceres.

§. XXIII.

Sed progredior ultra, quia prolixiorem deductionem excuſat materiæ dignitas, & magna in eo verſatur felicioris Praxeos pars, ne æquivocatione curemus. Multum ideoque refert, verum & genuinum noſſe Specierum Simplicium operandi modum ac effectum, quem, ſi ignores, etſi in Theoria parem neſcias, in Praxi nullus eris. Hunc vero in Compoſitis ex mea judicandi facultate, & adductis hactenus rationibus expiſcari poteris nunquam, quia commixtæ Species te ſemper reddent ambiguum, & judicandi certitudinem denegabunt. Contra vero hæc eſt genuina remediorum facultates explorandi methodus, quæ in ſimplici ſua conſtitutione eadem adhibere commendat, ſic enim ſine fuco prodibit effectus, & certus eris, ſi hac incedas via, uti in obſervando, ita in judicando. Et ſane hæc via unica eſt, quam ipſa rei natura indicat ac approbat, quam rationaliter amplectebantur

&

& primi Materiæ Medicæ auſpices & his proxime ſuccedentes utilisſimæ hujus Doctrinæ proſecutores, unde factum, quod majorem apud quemlibet judicioſum Medicum Veteres Materiæ Medicæ Scriptores ſibi conciliaverint fidem, quam qui in recentisſimis temporibus hoc opus ſunt aggreſſi.

§. XXIV.

Communis enim ſicut hodienum per mera Compoſita & Præparata curandi viget mos, ita etiam Species, quæ ad Materiam Med. pertinent, aliter non probari ac perveſtigari ſolent, niſi vel commixtæ cum diverſis aliis, vel plane per prægreſſam artificialem præparationem alteratæ ac inverſæ; qui vero tunc in genere de toto Mixto obſervatur effectus, ille ſtatim absque fundamento huic atque illi peculiari Speciei ſeorſim adjudicatur, imo, ſi qua datur ſcribendi occaſio, publice proclamatur, ita ut, ſi huic commendationi fidem des, communiter decipiaris, aliosque tecum decipias. Et inde plerumque ſunt paſſim occurrentes in Materia Medica æquivocationes, quarum ſpecialiora ſicco pede tranſeo exempla, modo id unicum commemoraſſe ſufficiat craſſæ ambiguitatis phœnomenon, quod ſæpius contrarios plane de una eademque Specie Botanologi allegent effectus: provocant ad experientias, quas impugnabit nemo, attamen plus quam deciſa res eſt, duo in uno eodemque Subjecto non convenire poſſe contraria. Unde autem ſit hæc ambiguitas, ex prædictis palam factum puto, aut enim alter aberravit a juſta remedium applicandi methodo, aut eidem varias alias junxit Species, quæ ita alterarunt ac inverterunt remedii effectum, ut plane fuerit diſpar illi, quem de eodem in ſimplici ſua conſtitutione adhibito obſervavit alter. Cum igitur, ut omnia huc usque dicta in ſummam contraham, Curam per Compoſita uſitata Pharmaceutica tanta maculet æquivocatio, hæc autem multorum errorum in Praxeos exercitio accuſanda veniat genitrix, judicet, cui vel levis eſt judicandi facultas, quantum præſtet curatio per Simplicia, quippe quæ omnium ambiguitatum expers certitudinem ſemper habet comitem.

§. XXV.

Prodit exinde per bonam tandem conſequentiam ſanitatis per Simplicia recuperatæ *major Conſtantia*, quam quæ per Præparata Pharmaceutica communiter ſolet obtineri. Simplicibus hinc ſi percuratum ſcias morbum, non recidivas metue, nec ominoſas quasque conſequentias. Conſpirarunt enim exacte, quibus uſus es, remedia cum ſalutaribus Naturæ medicatricis motibus, non inverterunt, ſed foverunt legitimum ipſius morbi genium, recto tenderunt greſſu ſub temperata operandi indole ad removendam morbi cauſam, quosque ſic ediderunt effectus, non palliativi fuere, ſed fidi: quid ergo ex his circumſtantiis majori poſſum ominari certitudine, quam futuram ſanitatis reſtitutæ conſtantiam? Certe vero alii non raro ſunt effectus in morbo aſſumtorum Pharmacorum, utpote quorum non pauca dantur citra probationem ſcripta, quibus tamen tribuere fidem ſolent quamplurimi, cum eadem vel a Sectæ ſuæ viro ſcripta ſint, vel Autores promiſſis aptaverint titulos; aliis enim credere, etiamſi de iis, quos prædicant de medicamento peſſima ſæpius ratione compoſito, effectibus ipſimet nihil certi ſciant, hodienum inter Medicos moris eſt, quia ſuprema vitæ modernæ lex eſt commoditas. Interim, nihil conſtantis effeciſſe eadem, teſtatur tandem eventus; dolent enim ſæpius ægri, quos plenarie a morbo, quo ante tenebantur vinculati, liberatos credis, varias adhuc affectus reliquias aut peſſima conſectaria, quorum ſæpius aut pertinax eſt per longum temporis ſpatium inhæſio aut moleſtus recurſus; quidam vires ſuas plane exhauſtas querelis ſuis denunciant, nulla ratione easdem poſſe reſtitui lugentes; alii, qui vix de recuperata ſanitate læti amicis felix hoc ſignificarunt fatum, ex improviſo Recidivas patiuntur; imo nonnulli priſtino affectu quanquam propulſo brevi poſt vagis poſtmodum doloribus Arthriticis, Cordis inſolitis Palpitationibus, Pedum Oedematibus, Rheumatiſmis, & quæ ſunt horum analoga, divexantur; atque ſic ſæpius fraus poſterior magis eſt ſuſpecta priore.

§. XXVI.

Quæ omnia cum ita ſint, & prolixa hactenus deductione demon-

monſtrata proſtent, miratu perquam dignum eſt, quod Medicorum adeo pauci Remediorum Simplicium trahantur amore, cum tamen juxta commemoratas præſtantias major iisdem obtineatur honor ac opulentia, quam uſitatis quibuslibet Compoſitis; ſed inſtrui ſolent plurimi ad modernam conſuetudinem, major enim in Collegiis ac Scriptis Practicis communiter eſt Compoſitorum, quam Simplicium citatio, cum tamen, ſi Simplicium facultates non bene noveris, nec de Compoſitis rite judicare, nec iisdem legitime uti valeas.

§. XXVII.

Ne vero quis putet præſentis Diſſertationis argumentum adeo leve ac exiguum, ut eidem non annuat virorum, quos nominis notat celebritas & fama, favor, epiphonema addant quædam horum Teſtimonia. Taceat tamen Hippocrates, Sileat Galenus, dormiant quoque alii poſt horum tempora Principes Medici, quibus nulla fuit Artis Pharmaceuticæ & juxta hanc concinnatorum remediorum cognitio. Loquatur *Helmontius*, hic enim *Tract. Diſpenſ. moder.* inquit, quod in Simplicibus ſit perfecta Cura omnium morborum: Prodeat *Crato*, qui Simplicium uſum tutiorem, quam Compoſitorum, commemorat: Audiatur ex parte *Paracelſus*, de quo hinc inde teſtantur ſua volumina, in quanto Vegetabilia ipſi fuerint pretio, teſtantur pariter ejusdem fragmenta, quæ de variis Simplicibus v. g. Hyperico, Ruta, Artemiſia, Perſicaria, Therebinthina &c. conſcripta adhuc verſantur in multorum manibus: Loquatur vero præ reliquis *Arnoldus de Villa nova*, dolum eſſe autumans, ſi quis Compoſitis utatur, ubi in promtu habentur Simplicia, de quo inſuper *Savanarola Lib. de Aquæ vit. præp.* tradit, eundem vulgaribus remediis tantum ſibi comparaſſe nomen, ut alter ævi ſui fuerit dictus Apollo. Plures, qui remediorum Simplicium laudes amat, evolvat Læl. a Font, Dioſcoridem, Matthiolum, Foreſtum, Lonnicerum, Fuchſium, &, quos placet, alios Materiæ Med. Scriptores.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Verum enim vero Simplicibus uti omnem abſolvere paginam minus putandum, unum adhuc, quod a felici Practico abeſſe nequit, accedat neceſſe eſt, debita ſcilicet circa eorundem ſelectum atque uſum prudentia. Non igitur, quod primo loco notandum, confundi patiaris Simplicium multitudine & copia inenarrabili. Dantur multa eorum, in quibus, ſi quid fidi aut certi effectus quæras, profecto plane nihil invenis; ſunt enim mala mixta bonis. Scio equidem, quod autumet vulgi ſancta ſimplicitas: Es ſey kein Kräutlein ſo klein gewachſen/ es habe denn ſeine Krafft/ attamen erras, ſi idem enunciatum interpreteris de uſu rerum Medico. Quibuslibet enim, quotquot in orbe creſcunt & progerminant, Vegetabilibus indere vires medicas, non credo fuiſſe Creatoris decretum, ſuffeciſſe potius in plerisque ſentio, tantum ipſis concesſiſſe facultatis, quantum ad alenda ac nutrienda bruta requiritur; unde omnino fruſtra nihil fecerunt Deus & Natura, quicquid enim directo in corpus humanum carere vides uſu, id in Brutorum gratiam vireſcere ſcias.

§. XXIX.

Cum itaque quoad hanc Simplicium differentem conditionem non omni eorundem ſpeciei concedi posſit in ſelectiori Materia Med. locus, opus erit, ut inter illa, cum juxta communem labem vulgo magno allegari ſoleant numero, inſtituas ſelectum, & ſpretis reliquis ea ſolum tibi reddas uſualia, quæ aut tua Praxis aut aliorum pluries repetita obſervatio peculiari conſignavit punctulo. Non quidem horum magnum colliges catalogum, nec tamen multitudine indiges, paucis enim iisdemque probatis remediis ampliores ſane in felici Praxi facies progreſſus, quam qui multitudine inſtructus variatione delectari poteſt. Selige hinc ex multis pauca: optimorum enim Practicorum compendioſus plane eſt remediorum apparatus.

§. XXX.

Alterum, ſine quo Praxis per Simplicia itidem fallax eſt & iners, conſiſtit in rationali ac legitima Simplicibus utendi methodo. Poſcunt enim & urgent Simplicia eandem prudentiam, quam Compoſita quæque artificioſiſſima. Nihil hinc ordinandum indiſcretim ac promiſcue, alias vix effugies, quin in cæcam prolabaris empiriam. Clava Herculis non valet niſi in manu Herculis, unde, ſi quem fugit debita adhibendi opportunitas, vel præſtantisſimorum medicaminum ſiniſter evadet effectus. Fida probaque remedia & prudens Methodus nunquam ſint disjuncta, opus eſt, quæ duo ſi ſibi manus porrigant, concurrantque in artifice, multos hic ſuperabit alios, quorum de meris Arcanis imprudens eſt gloria: illa enim optima ſunt arcana. Suppetit hic arduum profecto Capivacii Profeſſoris quondam Paduenſis exemplum: erat ille, ſicut in Praxi verſatisſimus, ita felicisſimus, &, uti communis erat perſuaſio, Arcanis credebatur abundare, detegebant vero ipſius Scholares piam fraudem, hi enim vel novitatis ſtudio vel diſcendi cupiditate incitati efflagitantes, ut quid de Arcanis ſuis ipſis faceret compertum, id tantem obtinebant reſponſum: Diſcite meam methodum, & habebitis mea arcana.

§. XXXI.

Et hæc ſunt L. B. quibus oppreſſam quaſi Remediorum Simplicium gloriam vindicare, ac in lucem iterum protrahere volui, quæ ſi æqua mentis trutina ponderes, invenies, me dixiſſe nihil, quod non affirment ſaniora Principia, confirmetque obſervatio. Aſt peto aliquid adhuc adjiciendi veniam, reſtat enim, ne manca videatur ſuſcepti Thematis elaboratio, paucis commemoranda *Cura Diætetica*, utpote quæ, cum alimentis ſua præſtet negotia, ſine quibus nec vivere poteſt & ſanus & æger, omnino trahenda eſt ad Praxin per Simplicia.

§. XXXII.

Sicut vero unicuique liquet abſoluta ad conſervandam vitam atque ſanitatem, recuperundasque, quas quotidianus abſumit labor, vires, alimentorum neceſſitas, ita etiam ex omnibus, quæ ad humanum corpus pertinent, profecto nihil eſt, ex cujus uſu irregulari & perverſa qualitate majus redundet in ſanitatem damnum, quam itidem ex alimentis. Quod ſi autem tanta eſt Alimentorum in ſanos efficacia, ipſisque nec conceſſum, comedere ſemper, quicquid ante os venit, aut quicquid commendat appetitus, ni vacillare debeat ſanitatis conſtantia; quanta, quæſo, habenda erit alimentorum ratio, quantusque ſelectus apud illos, qui ſanitatem amiſſam dolent, & morbo jam affecti degunt!

§. XXXIII.

Quantum vero Diætæ irregularis damnum, tantum quoque credas eſſe emolumentum ex legitimo alimentis utendi modo reſultans. Etenim ſane multum in Morbis quamplurimis efficitur alimentis, quia vix reperies alimentum, cui non aliqua etiam inſit virtus medica. Foveo hanc ex omni parte e Scriptis Veterum confirmatam ſententiam, hi enim eam omnium, quæ ſunt in Medicina, utiliſſimam declarabant ſpeculationem, alimentorum curatius obſervare vires: *vid. Galen. de Aliment. Facult. Lib. I.* Et erat ſane, quæ Hippocratis præcipue & Galeni ævo florebat, Medicina mere Diætetica, curabantur ægri alimentis magis, quam medicamentis, depromebant enim tunc temporis Medici a fonte Diætetico, quicquid potiorem curationis abſolvebat paginam, & loquitur experientia optimo id ſemper factum effectu & eventu; neque mirum, eſt enim hæc medendi methodus, dum ſimpliciſſima eſt, multo conformior Naturæ, Natura enim Diætæ aſſueta, quicquid offertur ex victu atque potu, promtius omnino certiusque in ſuos convertere ſolet uſus. Ex quo merito reprobanda eſt Recentiſſimorum negligentia, quod ita leviter alimenta æſtiment, & pro cognoſcendis eorundem facultatibus non majorem impendant induſtriam.

§. XXXIV.

igitur; quod mihi exoptatum venit, otium Tua, PARENS OPTIME, mente recolendi, beneficia, quorum memoriam, ſicuti TV iisdem figere neſcis terminum, ita in me nulla unquam delere poterit oblivio. Deliberavi mecum ſæpius, qva ratione gratum TIBI declararem animum, & dolui hactenus flagrantis deſiderii inertiam; ſed ecce! illuceſcit, dum ultimum adeo curriculi academici actum, felix occaſio. Accipe hinc TIBI ſacratas Studiorum meorum primitias, nec tamen mirare, quod Tuos his compellem Lares; cui enim, Ipſemet judica, primitias offerrem melius, quam cui meum didiciſſe fideliter Artem acceptum fero? Etenim TV poſt DEVM ſolus Studii mei autor es; per TE ad Medicinam ſum quaſi natus, nactus abs TE Genitore naturam Doctrinæ recipiendæ aptam; abs TE fuit inſtitutio a puero, qua dimidium Studii abſolutum in Academiis reperi; imo TV tandem, quod ſaluti Liberorum invigilantis Patris eſt, meam qualem qualem in

Arte ſolide complenda induſtriam aluiſti ſemper conſiliis, firmaſti auxiliis. Taceo plura paterni amoris ſpecimina, quæ quidem hic allegare vetat adulationis ſuſpicio, quibus tamen me omni modo obſtrictum judico, publicum hoc filialis meæ devotionis ſtabilire monumentum, animique grati mnemoſynon. Faxit DEVS quo per longam adhuc annorum ſeriem Parentis frui liceat favore! Faxit! ut vivas ſoſpes, & inter has mundi calamitates incolumis, ne lugeant unquam indefiniti ægri optatum ſolamen, nec egomet ſalutis meæ temporalis fulcrum! Sic vale, HONORATISSIME PARENS, ex pio ac ardenti voto

obſequioſi Filii

JOH. GOTTFR. KIRCHHOFFII.

PARENS HONORATISSIME.

SIc tandem affulſit plus quam felix ille dies, quo TIBI meum obſequium, ea, qua Filio par eſt, animi ſubmisſione publice teſtandi læta ſuppetit occaſio. Non miror nec rimor, cur votis meis ita annuat fatum, favet enim ipſe DEVS pietati, quæ latet erga optimos Parentes in Filiorum pectore. Arripio igi-

§. XXXIV.

Magnam ergo ſibi vindicat Medicina Diætetica prærogativam, & vix a recto aberraſſe tramite vidiſti, qui eandem Medicina Pharmaceutica ſæpius judicarunt digniorem. Priſcorum repete memoriam: Horum plurimos per omnem vitam rariſſime affectos legis morbo; degebant ſani, & vita fruebantur longæva: ſed cur hodienum alia nobiſcum luditur ſcena? curque adeo immutatus plane deprehenditur rerum noſtrarum ſtatus? Vera ſane vix latet, ſed in promtu eſt, ratio, Priſcorum enim ſuprema erat conſervandæ ſanitatis regula, Diætetice vivere, ævo vero moderno noſtra in ſolas Pharmacias eſt confidentia: Man iſt, was einem ſchmeckt, und leidet was man muß, ſind doch in den Apothecken Artzneyen gnung. Sed profecto nocumenta ſunt demum documenta, & experitur quilibet ſuo cum diſpendio, melius judicaſſe veteres, nec Pharmaciæ tantum eſſe fidendum, quantum Diætæ.

§. XXXV.

Sed ſi forſan diſpliceat, noſtri ævi evagari terminos, obſervare placet diverſam hominum, qui nobiſcum vivunt, vivendi rationem. Trahit quemque longævitatis cupido, & ſicut fugit neminem, qui vult finem, neceſſe etiam eſſe, ut velit media, ita quamplurimi, modo non vetet nimis curta ſuppellex, vitæ ſuæ melius præeſſe neſciunt, quam ut ſeſe quaſi totos tradant artificioſæ præſervationi, ſicque plusquam quotidiana variorum Balſamicorum aliorumque magni nominis medicaminum aſſumtione mortis prodromo ipſique morti oſtium præcludant atque feneſtram. Sed quantum ſemet hi decipiant, quotidianæ obſervationis eſt, etenim tum demum inchoat ſanitatis labes, Naturæ mollities, ejusque major ad omnia, quæ ante nullum faceſſebant negotium, ſenſibilitas; optime vero Medicus, hic enim habet, quo de perpetuo ſibi gratuletur cliente. Perditur enim, dum nulla ſubeſt afflictio, attamen pane quotidiano crebrior Medicamentorum aſſumtio, Naturæ Autocratia, remittit ac deficit, &

ſi quid in Oeconomia, cujus Natura præſul eſt, occurrat, cui auſferendo vel minimæ ſufficerent vires, ſemper expectat artis ſtimulum, imo, quando actu ingruit adverſa valetudo, vix attendit, multo minus applicat remedia, ut ſic tandem omnino plus valeat arte malum.

XXXVI.

Contra vero alius plane eorum eſt vitæ ſtatus, qui non habent, quod Pharmacopœis ſolvant, ſed quorum labor vix tantum fert quæſtus, ut habeant, unde alimenta emant. Hi, dum ſimpliciſſimo & viliſſimo fruuntur victu atque potu, medicamentis vero per omnem fere vitam nullis, nulla ſentiunt ſanitatis incommoda, aut, ſi quando vacillet valetudo, ſponte redit eadem non concurrente arte; fovent enim hi minusque turbant primam Naturæ Simplicitatem, ſicque viget ejusdem autocratia aut connata facultas imminentes præſervandi ac præſentes removendi ſanitatis injurias. Ex quibus rite penſitatis patet ad oculum Medicinæ, quæ per Diætam efficax eſt, dignitas, & profecto felices ſunt deprædicandi, qui huic rite obſervandæ omnem navant operam; etenim illi, qui juſto nimis ſentiendo de Remediis Pharmaceuticis crebriore eorum uſu corpus ſuum quaſi condire tentant, opinione citius ſubeunt vitæ ſuæ

F I N E M.